

352 HIST. SILVÆ NIGRÆ L. VII.

SECULUM XII. *dibus plenam, habitatores vero terra illius non simul commorantes, sed dispersos ita, ut non facile inveniri possent. Exercitus ergo christianorum ignorantia locorum exedatus, sine aliquo rerum effectu est reversus. Et sic quidem omnes istæ expeditiones sacræ seculo XII. susceptæ incassum cessere, atque etiam Hierosolyma anno 1187. a Saracenis fuit recuperata. Fridericus autem imperator an. 1189. occurrens, in Palæstinam profectus, post varia infortunia infeliciter annem refrigerandi causa ingressus, subitaneo frigore naturalem calorem extinguente deficiens submergitur, uti Otto de S. Blasio Frisingensis cognominis continuator rem narrat, pluribusque expeditionem illam prosequitur, in qua etiam Fridericus Suevorum dux imperatoris filius sociusque, in obsidione Accaron febris correptus, atque immatura morte raptus, maximo christianorum planctu ibidem fuit sepultus.*

Ursif. script. Germ. T. I. p. 211. &c.

Factiones Guelphorum & Gibellinorum.
L. c. p. 197.

Cod. epist. Rudolphi I. R. p. XXIV.

Schiller script. Germ. p. 25.

IV. Fridericus hic imperator eius nominis primus iam cum Conrado III. duce Sueviæ cruce signatus Hierosolymam concesserat, teste Ottone de S. Blasio c. 2. qui post mortem eiusdem Conradi III. patruis sui anno 1152. unanimi principum consensu rex salutabatur, hoc quidem salubri consilio, ut aboleretur tandem Guelphorum Gibellinorumque factio. Fabulosam de ea Sigismundi Meisterlini narrationem iam in fastis Rudolphinis retulimus, de duobus nimirum fratribus Guelf & Gibel, qui demum sub Friderico II. in castro Nerisheim prope oppidum Norlingen magni interregni tempore malorum incentores fuerint. Aliquid tamen veri subesse coniecere licet, quod situm locorum attinet, unde ipsi hodie Wirtembergici scriptores originem Hohenstaufiorum, qui Gibellinis nomen indiderunt, repetunt, a diruto nempe castro Altstaufen nuncupato, in regione Hertfeld adpellata, in qua ad fluvium Kocher villa Waiblingen conspicua est, diversa a cognominibus villis una in Palatinatu diocæsi que Wormatiensi, altera in Constantiensi ac ducatu Wirtembergico: illa autem, de qua res est, in diocæsi Augustana iuxta O. S. Benedicti cœnobium Neresheim sita est. Rem porro in vulgus notam narrat Andreas presbyter in chronico Baviaræ de occasione perniciosorum horumce nominum accepta in obsidione & pugna Winsbergeni anno 1140. sub Conrado III. qui primus ex Hohenstaufeni familia folium imperii Germanici conscenderat, idque Friderico ex fratre Nepoti reliquerat, *eo quod (sunt verba Conradi Urspergensis ad an. 1152.) Welso avunculus eius, & alii principes Alemanniæ proxima linea consanguinitatis eum attingerent.*

Rem vero pluribus explicat Otto Frisingensis de gestis Friderici I. Imp. *lib. II. c. 2. Dux, inquit, in Romano orbe apud Galliæ Germanique fines*
Ursif. script. Germ. p. 447. *fa-*